Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1517
Quelle:
Copyright:



*vertis de passer dans les pays étrangers, et aux Refugiés de venir en France sans sa permission. Fait a Fontainebleau le 18. Sept.* 1713. Addit: *Avec une très humble et très respectueuse Remontrance a S. M. sur divers inconveniens, qui en resultent.* Verum, quamvis superfuisset charta, non comparet haec Remonstratio, sistuntque Somnia infelicis Herois aestuantis angusto limite mundi, de quo, qui tradidere, non satis adverterunt ad ea, quae circa Sacra moliebatur. Qui plura de eo volet, adeat Codices inter *Recentiores* Bibl. Palat. *Numeris* 1392—94. item 1405—6. signatos, ejusque Diarium ab a. 1698—1716. complexos; me enim jam hujusmodi nugarum taedet.

## DCLIII.

R. 86 Codex chartaceus germ. Sec. XVIII. Folior. 312. f. ab Homine rudi et fanatico conscribillatus referri vix meretur. Utrumque vel Titulus docet: *Treü hertzig vormanung zur auff Mundterung an alle Podentaten der Chrüsten Welt keüsser kinige fürsten und beerenn burgameüster und radt und Wehr das schwerdt der oberkeüdt in der handt hat dass sij doch in die welt sechen wie es ihrem anbt gemüss ist und den Ellendten zustandt der kürchen Chrüstü die nun mehr under dess theüffels und der böxen macht und gewaldt geraden ist wüder raden und halffen* &c. Titulo subscriptum: 1702. *den 14. tags dises iahrs.* In Praefatione praeter hanc Exhortationem promittit Descriptionem Regni Diaboli, Sagarum et Antichristi, Iter Italicum, et Fata sua. Ait sibi opus fore viginti annis ad scripta sua perficienda, ut *Job. Calvino* ad suas *Institutiones Relig. Christ.* observaturque recentior ejus manus, qua Operi jam descripto *fol.* 3. p. 2. adjecit: Magni quidem se fecisse Biblia; verum mutasse nunc mentem, comperto, multa ab iis promitti, nihil vero praestari. Sed apage blasphemiam! Praefationi subjunctae sunt temerariae et insanae Epistolae ad *Fridericum* III. Elect. *Brandeb.* ad Episcopum *Curiensem*, ad *Rudtlingerum* quendam Ecclesiasten *Tigurinum* et *Job. Beume Norimbergens.* Atque his subditum comparet nomen Autoris: *Allexandter Peer zu thussüs in bündt.* Igitur *Tuscianensis Griso* fuit, cujus Lernam profundius intrare pudet, pigetque.

## DCLIV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 1064 XIV. Folior. nunc 124. 4. maj. per duas columnas usque ad *fol.* 9. ab una, deinceps ab altera, eaque elegantiore manu scriptus et rubricis distinctus continet I. *Marsilii Menandrini*, melius *Mainardini* a Patria *Patavini* Opus pro Imperatoribus contra Pontifices insignitum *Defensor Pacis* circa an. 1324. cujus bina Exemplaria jam protuli *Vol.* I. P. 2. *col.* 2057.